

**DE IMITATIONE CHRISTI.**

**Nº 554**



**Exemplum dedi vobis. [Ivan. xiiii. 15]**

---

---

**DE IMITATIONE  
CHRISTI  
LIBRI QUATUOR.**



**TORNACI.**

**Soc. S. Joannis Evang.**

**DESCLÉE, LEFEBVRE & SOC.**

**MCMII.**

---

**Jus proprietatis.**

**IMPRIMATUR.**

Tornaci, die 26 Februarii 1902.

VICT. DUREZ, Vic. Gen.

## LECTORI BENEVOLO.

 *N tibi, pie lector, libellus pla-  
ne aureus DE IMITATIONE  
CHRISTI juxta emendatissi-  
mam editionem diligenter excusus.*

*Variæ quidem exierunt de aucto-  
re hujus libri sententiae, nec disputa-  
tionis expertes. Alii enim illum Tho-  
mæ a Kempis, alii Joanni Gersonio  
tribuendum esse dictitarunt.*

*Altera insuper nostris temporibus  
in Italia præsertim, surrexit opinio  
quæ Joannem Gersonium auctorem  
esse commonstrat. Neque illa ponde-  
re neque auctoritate caret. Attamen  
hanc veterem pervulgatamque que-  
stionem nil morabor, non enim ad  
tuam pietatem fovendam; quod unum  
et vehementissime exopto, quidquam  
potest conferre.*

*“ Non quæras, ait noster (lib. I,  
“ cap. 5), quis hoc dixerit; sed quid  
dicatur attende.” Et paulo superius*

vj. LECTORI BENEVOLO.

*jam prælocutus fuerat, “Quærere de-  
“ bemos potius utilitatem in scriptu-  
“ ris quam subtilitatem sermonis.*

*“ Ita libenter devotos et simplices  
“ libros legere debemus, sicut altos et  
“ profundos.*

*“ Non te offendat auctoritas scri-  
“ bentis, utrum parvæ vel magnæ  
“ litteraturæ fuerit; sed amor puræ  
“ veritatis te trahat ad legen-  
“ dum.”*

*Et sane, si divinos excipias libros,  
nescio quid sit, quod hominem facilius  
suaviusque ad omne virtutum genus  
informet, quam tantillum hoc opus-  
culum DE IMITATIONE CHRISTI, quod  
tamquam compendiaria quædam via  
ad divini amoris perfectionem attin-  
gendarum, singulari DEI munere vide-  
tur nobis fuisse concessum; quodque  
ex latino in omnium ferme gentium  
etiam barbarorum sermones transla-  
tum, ubique summa consensione fuit*

*receptum, et uberrimos christianæ  
consolationis et sanctimoniacæ edidit  
fructus. Difficile dictu est, quot lau-  
dibus ipsum celebrarint, et quam præ-  
claro in loco eximia doctrina et san-  
ctitate viri semper habuerint.*

“ *Certe mirandum est, ait quidam  
editor, et providentiae divine sin-  
gulari tribuendum, quod quamvis  
IV libri illi bellum cupiditatibus  
humanis perpetuum indicant, quam-  
vis etiam lectorem nonnullis offen-  
dant solecismis, stiloque sint bar-  
baro conscripti, saepius tamen quam-  
ullus liber profanus, typis excusi-  
fuerint, et annorum inter spatium  
trecentorum, editionibus bis mille  
forsan et amplius claruerint. Nimi-  
rum, divina virtus auctorem ita  
gubernavit, ut incultum humilem-  
que sermonem illustraret, et extol-  
leret imperiosa sententiarum gra-  
vitas, ac suavis, ingenua, simplex*

“ orationis indoles ipsam inter bar-  
“ bariem triumpharet.”

Item aliis editor, nempe pater Rosweydius, ex societate Jesu, de eodem opusculo scribebat, anno 1667 :  
“ Constat viris sanctis librum hunc  
“ ita familiarem fuisse, ut S. Carolus  
“ Borromæus cardinalis, et Pius V.  
“ eum viæ vitæque suæ comitem sem-  
“ per adsciverint. Ex hoc B. Phi-  
“ lippus Nerius religiosum spiri-  
“ tum imbibit. Eo Alexander Sau-  
“ lius, Papiensis episcopus, animum  
“ suum gravissimis diæcessis suæ cu-  
“ ris distractus refecit et oblectavit.  
“ Hunc Joannes Vandevillus, Tor-  
“ nacensium in Belgio antistes, eo  
“ loco habuit, ut quoties sibi depo-  
“ sceret (quod indies factitabat) non  
“ alia voce quam Da Librum, pro-  
“ pter præstantiam uteretur.”

“ Opusculum est utilissimum, ait  
“ cardinalis Bellarminus, et jure in

“ tota Ecclesia summo omnium con-  
 “ sensu receptum et frequentatum,  
 “ et in omnes linguas conversum.  
 “ Ego certe ab adolescentia et usque  
 “ ad senectam, hoc opusculum sœpe  
 “ volvi et revolvi, et semper mihi  
 “ novum apparuit, et nunc etiam  
 “ mirifice cordi meo sapit.”

“ Theologis, asceticis, perfectioni  
 “ studentibus placuit iste libellus, imo  
 “ et philosophis. Liber IMITATIONIS,  
 “ aiebat Fontenelle, operum quæ ab  
 “ hominibus scripta fuere summum  
 “ atque perfectissimum est, cum sacra  
 “ scriptura humana non sit.”

Ipsum igitur veluti DEI aliquod  
 munusculum tibi habeto, cœlestis  
 illius sapientiae præcepta animo pe-  
 nitus imbue, ac vehementi, ut par est,  
 in virtutibus proficiendi studio incen-  
 sus, illo quotidie utere, sive in lœ-  
 titia, sive in mœrore verseris, sive te  
 dubiorum fluctus exagitent, sive te

*urgeant morbi, sive tibi prospera sive  
demum adversa contingant. Nihil  
enim, mihi crede, tam asperum in  
vita, nil tam periculosum offendes  
in quo non hic liber tibi paucula  
legenti opem ac solatium sit alla-  
turus.*

*Postremum, ne quid unquam pre-  
clari adeo fructus depereat, audi, si  
vis, pauca queis te monitum vult  
cardinalis Henricus Henriquez,  
aurei hujus libelli enarrator piissi-  
mus.*

*I. Certum quotidie tempus huic  
lectioni præstitue, illudque inviola-  
biliter observa.*

*II. Ante lectionem præpara ani-  
mam tuam pura intentione, qua so-  
lum tuum profectum quæras; dein,  
mentis elevatione in DEUM qua roges  
donari tibi cœlitus lumen intellectus.*

*III. Lege, non cursive et festinan-  
ter, sed magna cum attentione, et*


*non nihil moræ versiculis interserendo : quæque te magis respiciunt, aut movent, relegas velim.*

*IV. Inter legendum pios affectus lectioni congruentes elicere stude.*

*V. Lectionem brevi aliqua adspiratione ad DEUM absolve, ut semen in terram cordis tui jactum servet ac fecundet, utque ita optatum aliquando referas fructum.*

*En monita, benigne lector, quorum accuratam observantiam tibi vehementer commendo; id si præstabis, magnos certe in virtute progressus facies. His te volebam. Vale.*





**H**umiliavit semetipsum factus  
obediens usque ad mortem  
mortem autem crucis. (Philipp ii 8)



# DE IMITATIONE CHRISTI

---

---

## LIBER PRIMUS.

Admonitiones ad spiritualem  
vitam utiles.

### CAPUT I.

De Imitatione Christi, et con-  
temptu omnium vanitatum  
mundi.

 *UI sequitur me, nón ambulat  
in tenebris* (Joann. viii. 12.), dicit Dominus. Hæc sunt verba Christi, quibus admonemur, quatenus vitam ejus et mores imitemur, si velimus veraciter illuminari, et ab omni cæcitate cordis liberari.

Summum igitur studium nostrum sit, in vita Jesu Christi imitari.

2. *Doctrina Christi omnes doctrinas Sanctorum præcellit, et qui spiritum haberet, absconditum ibi manna inveniret.*

Sed contingit, quod multi ex frequenti auditu Evangelii, parvum desiderium sentiunt : quia spiritum Christi non habent.

Qui autem vult plene et sapide Christi verba intelligere, oportet ut totam vitam suam illi studeat conformare.

3. Quid prodest tibi, alta de Trinitate disputare, si careas humilitate, unde displiceas Trinitati?

Vere, alta verba non faciunt sanctum et justum; sed virtuosa vita efficit Deo carum.

Opto magis sentire compunctionem, quam scire ejus definitionem.

Si scires totam Bibliam exterius, et omnium Philosophorum dicta : quid totum prodesset, sine caritate Dei et gratia?

*Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (Eccl. i. 2.), præter amare Deum, et illi soli servire.

Ista est summa sapientia, per contemptum mundi tendere ad regna cœlestia.

4. Vanitas igitur est, divitias perituras quærere, et in illis sperare.

Vanitas quoque est, honores ambire, et in altum statum se extoltere.

Vanitas est, carnis desideria sequi; et illud desiderare, unde postmodum graviter oportet puniri.

Vanitas est, longam vitam optare, et de bona vita parum curare.

Vanitas est, præsentem vitam solum attendere : et quæ futura sunt, non prævidere.

Vanitas est, diligere quod cum omni celeritate transit, et illic non festinare, ubi sempiternum gaudium manet.

5. Memento illius frequenter proverbii : quia non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu.

Stude ergo cor tuum ab amore visibilium abstrahere, et ad invisibilia te transferre. Nam sequentes suam sensualitatem, maculant conscientiam, et perdunt Dei gratiā.

---

## CAPUT II.

---

De humili sentire sui ipsius.

Omnis homo naturaliter scire desiderat; sed scientia sine timore Dei quid importat?

Melior est profecto humilis rusticus, qui Deo servit, quam superbus Philosophus, qui se neglecto, cursum cœli considerat.

Qui bene se ipsum cognoscit, sibi